

# **Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Ioannis Andrae Hoffmanni Ivris Vtrivsque Doctoris In  
Academia Ienensi Collectio Selectorvm Opvscvlvm De  
Vnionibvs Electorvm S.R.I.**

**Hofmann, Johann Andreas**

**Ienae, MDCCLII**

**VD18 12896357**

Capvt XIII. De Revocatione Privilegiorvm.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-18247**

inuitatas: (\*) particulares vero, quae agendorum expeditionem non impediant, cum moderamine sint permissae.

### CAPVT XIII.

## DE REVOCATIONE PRIVILEGIORVM.

### §. I.

**P**raeterea statuimus, & hoc Imperiali perpetuo sancimus Edicto: quod vniuersa Priuilegia & Litterae, (\*\*\*) quibuscunque personis, cuiuscunque status, praecminentiae vel dignitatis existant, seu ciuitatum, oppidorum & quorumlibet locorum vniuersitatibus, super quibuscunque iuribus, gratiis, immunitatibus aliis, (\* \*) etiam proprio motu, seu alias a nobis vel recolendae memoriae diuis Romanorum Imperatoribus siue Regibus, praedecefforibus nostris, sub quibuscunque verborum tenoribus, concessa & concessae, seu a Nobis vel successoribus nostris, Romanis Imperatoribus & Regibus in antea futuris temporibus concedenda vel concedendae: non debeant aut possint libertatibus, iurisdictionibus, iuribus & honoribus seu dominiis (\*\*\*) Principum Electorum sacri Imperii, Ecclesiasticorum & Secularium, aut alicuius ipsorum, in aliquo penitus derogare. §. 2. Etiam in talibus Priuilegiis, & Litteris quarumlibet personarum cuiuscunque praecminentiae, dignitatis aut status extiterint, vt praefertur, seu vniuersitatum huiusmodi, expresse cautum sit vel fuerit in futurum, quod reuocabilia seu reuocabiles esse non debeant, nisi de ipsis & toto in eis comprehenso tenore in tali reuocatione fieret de verbo ad verbum seriatim mentio specialis. §. 3. Huiusmodi namque Priuilegia & Litteras, si & in quantum libertatibus, iurisdictionibus, iuribus, honoribus,

(\*) Alii legunt inuitationes, sed Francofurt. Codex habet *inuitatas* sc. frequentationes.

(\*\*) conf. de LVDEWIG c. l. ad A. B. T. II. p. 87. lit. b.

(\*) vid. Capit. *Caroli VI.* art. 1.

(\*\*\*) vid. de LVDEWIG c. i. p. 95. T. II.



bus, seu dominiis dictorum Principum Electorum, aut alicuius ipsorum, derogare vel obuiare censetur in aliquo, quo ad hoc reuocamus ex certa scientia cassamus, reuocataque & reuocatas intelligi, reputari & haberi decernimus, de plenitudine Imperatoriae potestatis.

### CAPVT XIV.

## DE HIS, QVIBVS, VT INDIGNIS, AVFERVNTVR BONA FEVDALIA.

### §. I.

**I**n plerisque partibus Vasalli & Feudatarii, Dominorum feuda seu beneficia, quae a Dominis ipsis obtinent; in tempestiue, (\*) verbaliter & in fraudem renunciant, seu resignant eadem. (\*\*) Et, facta renunciatione huiusmodi, Dominos ipsos malitiose diffidant, suasque inimicitias eis denunciant, damna ipsis subsequenter graua inferendo, & beneficia seu feuda sic relicta, praetextu guerrae seu inimicitiae, iterum inuadunt, & occupant ac detinent occupata. §. 2. Eapropter praesenti Constitutione, in perpetuum valitura, sancimus, quod talis resignatio, seu renunciatio haberi debeat pro non facta. Nisi libere & realiter facta fuerint per eosdem, ita, vt possessio beneficiorum & Feudorum huiusmodi Dominis ipsis corporaliter & realiter assignetur, in tantum, quod nullo vnquam tempore diffidentes ipsi in bonis, feudis, seu beneficiis resignatis, Dominos ipsos perturbent per se, aut alios, aut molestent, nec ad hoc consilium praestent, auxilium vel fauorem. §. 3. Contrarium faciens, seu Dominos suos in beneficiis & feudis resignatis vel non resignatis, inuadens, quomodolibet vel perturbans, vel damna in ipsis inferens, seu consilium, auxilium praestans talia facientibus vel fauorem; feuda & beneficia huiusmodi (\*\*\*) eo ipso amittat,

(\*) II. F. 9. pr. II. F. 14. Ius feud. Alem. c. 150. & Ius Sax. tit. 17.

(\*\*) II. F. 38.

(\*\*\*) Haec vox *huiusmodi* ab aliis omittitur.

